

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Correctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JUSTITIA. CAP. XLII.

U*TI* vero trini prosequamur significata, ternarium veteres, ut alibi etiam ostendimus, justitiae dicaverunt, ut de Pythagoricis disciplinis Plutarchus ait. Injuria siquidem afficere, neque non affici, cum extrema sint, & idcirco vitiosa, justum & equaliter utrumque reductum in medio residet. Sane Pythagorici non numeros tantum, verum etiam figuras deorum nominibus dedicarunt, quippe qui triangulum & equilaterum Minervam appellabant, Verticenam & Tritogeniam: propterea quod tribus perpendicularibus lineis ab angulis tribus dissecetur.

MINERVA. CAP. XLIII.

Quod vero pertinet ad Minervam, trigeminam eam nonnulli faciunt, propter anni tempora, ^{Cup trigon} apud Aegyptios tria tantum fuere: quippe, Ver, aestas, & hyems. Huic etiam ^{mina Mi-} tertium uniuscujusque mensis diem dedicarant, cum Luna coitu mensem auspicarentur, ut Sche-^{nerba dīs} ^{aa sit,} nis author est. Pallas enim, ut in eorum est Theologia, die tertia orta est. Et eadem & Pallada & Lunam plerique interpretantur. Hac vero non prius quam tertio a coitu die se videndum exhibet. Quamquam non desunt qui Tritogeniam ea de causa dictam asserant, quod e Jovis capite orta prædictetur. Trito enim Bacotiorum lingua caput appellatur. Sane Diodorus Pallada æternam esse dicit, eumque incorruptibilem, eaque de causa & Virginem deam, & Jovis e vertice editam, confitum esse.

Ad hoc facit Horatianum illud:

Proximos illi tamen occipavit

Pallas honores.

Nam cum aer tertium ex elementis locum obtineat, Aer, quae pro Jove accipitur, omnino proxima est, & ternarius illi numerus recte datur. Misericordia quae multa & varia de palude Tritone Græci fabulantur. Sed illud minime dissimularim, quod Democritus dixisse fertur, Pallada Tritoniam ea de causa nuncupatam, quod præcepta tria ad humanam vitam bene beatęq; degendam necessaria proposuerit, bene quidem consulendum, recte judicandum, iuste denique agendum. In quem terminum omnis disciplina sanctoris finis dirigitur. Merito igitur ternarius, & triangulatis figura ea, quae lineis & equalibus describitur, & Palladi est, & justitiae dicata.

HUMANITAS. CAP. XLIV.

Sunt & alia figurarum triangulatum significata, quae Pfeillus & libello De dæmonibus interpretatur. Ea libenter apponam, quia ceteris hieroglyphicis videntur minime dissimilia. Aequitatem enim humanitatis symbolum ajunt, quod quidem una breviori linea descriptum, indicat rationis modulum contractiorem esse, ac perinde multa effugere, quae petcipi non possint.


MORUM DISSOLUTIO.

CAP. XLV.

Vel si una sit linea latiore prodigioreque, aberrare significat ab institutis, & a recta via, & plus a quo indulgeri quaedam cupiditatibus.

CORRECTIO. CAP. XLVI.

Quia tamen lineæ si notentur contractæ ad allarum nostram, ostendit, ex perperam actorum pœnitentia vita que solutionis correctione, fieri nos posse longe meliores, quam antea vita fuerimus.



DÆMO.